











1717.

18. Janus, Fr. Guilielm: De duellorum origine et progressu.
19. Janus, Jo. Guilielm: De dominata pontificio in reges  
et principes post reformationem Divinuta
20. Keuring, Henricus: De incedis planetarum.
21. Krausius, Fr. Gottf: De eo, quod justum est circa  
Sabbaticum procerum.
22. Loescher, Ersp: De formularum fidei necessitate
23. Loescher, Anst. Gottf.: Observationes physicas selectiores  
... proponet.
24. Menckel, Gottf. Ludovic, Ordinis juris Novi Decanus:  
Lectori benevolæ s. d. (et Disputationem orlen-  
nem Christiani Ludovici Schellingii invitæ,
25. Menckel, Gottf. Ludov, Ordinis juris dicit . . . Decanus:  
(s. b. s. d. (et Disputationem Casperi Harveii Neu-  
manni invitæ)
26. Menckel, Gottf. Ludov: De illicita fendi alienabilis

Abrenuntiatione.

29. Menckler, Gottfr. Ludw.: De transactione et falsa  
causa.
- 28<sup>o</sup> = Mencklerius, Gottfr. Ludw.: De iure conveniendi subditos  
in proprio iudicio. 2 Exempl.
29. Menckler, Gottfr. Ludw.: De contumacia latorantis  
circa prosecutionem latorantis
30. Rieblich, Georg Gustav, de: De sponsionibus iure  
naturali et civili illicitis
31. Struquius, Fredericus: De pactarum sigillatimque  
Homeri auctoritate apud iurisperitos
32. Vater, Abraham: De consensuum sensuum ex  
speciali organorum sensoriorum, et sigillatim  
ex papillarum verrucarum textura me-  
chanice demonstratis
33. Vater, Christianus: De morbis epidemicis



34<sup>ab</sup> $\frac{1}{2}$  Wenker, Fr. Baltus: Topographie Land-  
sensatus et sita terrarum 2. Aufl.

35. Wendorff, G. H.: Ostindianum in pictis  
renatum . . . iterum excutiet

36. Wendorff, G. H.: For magistratus civitatis  
circa mentionem ecclesiae ministrorum

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





1717 3/20  
AVSPICIIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
*SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, AC DOMINI*  
**DN. FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECTORAT. SAX. HEREDIS  
ET RELIQUA  
DE  
**INCOLIS  
PLANETARVM**

DISSERTATIONEM PRIOREM  
SVB PRAESIDIO  
*VIRI MAGNIFICI, SVMMÆ REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI*  
DOMINI  
**DN. HENRICI RAUSCHII**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
MATH. SVP. ORD.

*PATRONI PRAECEPTORIS, ATQVE STUDIORVM SVORVM  
PROMOTORIS AETATEM DEVENERANDI*

AD DIEM XXIX MAI. MDCCXVII  
IN AVDITORIO MAIORE  
PVBLICE VENTILANDAM SISTIT

AVTOR-RESPONDENS  
**M. CHRISTIANVS HEMPEL**  
HOENLIBENTHALIA SILESIVS.

1717  
VITEMBERGAE LITERIS SAMVELIS CREVSIGII



PER-ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO  
D O M I N O  
DN. IOANNI GEORGIO  
LIB. BAR.  
DE FÜRST

DYNASTAE IN KVPFERBERG WÜSTEN-  
RÖRSDORFF ROTHENZECH HOEN-  
LIEBENTHAL ETC.

*DOMINO SVO MAECENATI ET PATRONO  
LONGE GRATIOSISSIMO*

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN ACADEMICVM  
ANIMO OBSEQVENTISSIMO DEVINCTISSIMOQVE  
VITAM LONGISSIMAM

REGIMEN FORTVNATISSIMVM  
FELICITATEM OMNIMODAM

TOTO PECTORE  
PRECATVS

OFFERT

M. CHRISTIANVS HEMPEL



## PROOEMIUM

**Q**uod uniuerso sapientiae humanae studio contingit, ut ab iis, qui illud iustos intra limites non excolunt, erroribus foedissimis, honorem Dei profanantibus, contaminetur, quod suo iam tempore dolebat Tullius: *Nihil inquam, tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum*, de Diuinit. L. II. id etiam prae reliquis in Scholis Astronomorum fieri, neminem, qui uel uno saltem oculo historiam Astronomiae inspexit, latere potest. Cum enim multi rationis suae corruptae propensionibus nimium quantum indulgentes, curiosius, quam par est, in admirabiles naturas atque usus syderum inquirerent, tot inde philosophemata uel potius opinionum portenta enata sunt, ut dubium uideatur, utrum magis misericordia an risu sint excipiendi multi, Virorum alioquin praestantissimorum, errores. Non de fuerunt quidem omni aetate uiri docti, qui omnium disciplinarum humanarum utilissimam iucundissimamque Astronomiam errorum atque superstitionum tenebris offusam, splendori suo reddere conati sunt. Nec desunt tamen alii, qui stellis splendidissimis maiori nisu iterum obducere laborant tenebras. Horum in numero non infimum occupant locum, qui caeli lumina, per mundos, quos in his ipsis sibi fingunt, obscurare tentant. Sunt enim multi, qui, cum intelligerent, planetas esse corpora opaca atque solida telluri nostrae haud dissimilia, ex eo statim colligebant, planetas omnes perinde ut tellurem nostram incoli. Quod Lunam imprimis, stellam omnium minimam nobisque proximam, attinet, tam accuratam eius cognitionem sibi acquisiuisse uisi sunt, ut etiam Heuvelius in sua Selenographia p. 226. Mappam Lunae Geographicam conficere non dubitauerit. Immo Ricciolus, Astronomis celebrioribus, e quorum scriptis aut obseruationibus aliquam eruditionem



Astronomicam in suum Almagestum nouum deriuauit, unicuique certam terrae Lunaris portionem distribuit. uid. Almag. L. IV. C. VII. p. 203. Conf. Tabulam Selenographicam Dn. Doppelmayeri, opera Dn. Ioh. Bapt. Homanni Norimbergae delineatam. Et ex analogia Lunae cum reliquis planetis omnibus porro concludebant, a ratione haud alienum esse statuere, planetam quemlibet esse mundum. Immo eo usque philosophorum quorundam processit audacia, ut stellam fixam quamlibet solem esse qui itidem planetas inhabitatos circa se uolueret, asserere, non erubescerent. Quid? quod ipsi soli stellisque fixis omnibus, suos quoque incolas, quorum tamen naturas soli accommodatas dicunt, assignare ausi sint nonnulli. Haud ita pridem etiam Anonymus quidam Anglus ipsum infernum in sole quaesuit, quem autem solide refutauit Vir Max. Reuer. Dn. **D. Haserung** in Dissertatione de sede inferni in sole quaerenda. Quemadmodum uero sententia de sole stellisque fixis inhabitatis adeo absurda est, ut eam allegasse sit refutasse: ita quoque altera de planetarum incolis opinio, utut aliquam probabilitatis speciem habere uideatur, nullo tamen fundamento solido innititur. Hinc certe mirum est, quod ab antiquissimis iam temporibus inter philosophos etiam magni nominis, multum de pluribus uel infinitis mundis disputatum fuerit. Primus, qui stellas credidit perinde ut terram nostram incolari et habitari, Orpheus fuisse uisus est Cl. Fabricio in Bibliothec. Graec. L. I. C. XX. p. 131. Quem praeter Pythagoreos secuti sunt ueterum quamplurimi: Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Aristarchus, Archelaus, Xenophanes, Democritus, Heraclitus, Metrodorus Chius, Leucippus, Epicurus eiusque sectatores, Metrodorus Lampfacenus et alii, Diogenes, Apolloniates, Zeno Eleates, Seleucus, Plato, Alcinoüs et Photinus; tum Plutarchus et multi adhuc alii. Aliquibus uero post Christum natum seculis, cum ob migrationes gentium barbaries ubique



que intualefceret solaque Philosophia Aristotelis, "quippe qui unitatem mundi propugnabat Lib. I. de Caelo C. VIII. et IX. in scholis floreret, opinio haec de multis mundis aliquamdiu latuit, donec tandem renascentibus bonis literis hoc ipsum quoque dogma de pluralitate mundorum, resuscitatum fuit. Qui hunc Veterum errorem de nouo introduxit primus fere fuit Nic. de Cusa Cardin. Hunc item secutus est infelix ille Iord. Brunus et multi alii. Quas uero Veteres in nocte ignorantiae studiorum Astronomorum uel diuinando tantum somniarunt fabulas, eas nunc Recentiores in luce clariori uersantes pro ueris enarrare nulli dubitant. Ex quo enim nouum a Copernico excogitatum fuit Systema planetarium quo tellus nostra circa Solem tanquam centrum cum reliquis planetis uolui demonstratur, aliores in mentibus Astronomorum radices agere coepit sententia de Planeticolis. Accedunt Telescopia a Galilaeo inuenta, quorum ope multa admiranda hactenus incognita circa stellas detecta sunt, quae non exiguum scientiae syderali dederunt incrementum. Huius enim instrumenti Optici ope adiuti adeo superiores erant Veteribus, Astronomi, ut, quam illorum nonnulli carminis magici pronunciatu demissam repraesentasse putantur Lunam, hi nunc eam non tantum innocenter demittant, sed etiam familiari quodam intuitu eius quasi conditionem intueantur. Atque sic obseruatis quibusdam in planetis rebus terrenis nostris similibus, magis ad ueritatis speciem Astronomis accedere uidebantur coniecturae de planetarum incolis. Aliqui tamen rem paulo curatius pensitantes, ioci tantum et animum oblectandi gratia de Planeticolis locuti sunt, quod de Luciano ex eius Dialogo de itinere in Lunam, nec non de Fontenellio e Dialogo eius ingeniosissimo: *Ob mehr als eine Welt sey zwischen einem Gelehrten und Frauenzimmer*, omnino constat, et de Keplero aliisque idem confirmat Christ. Hugenius in Cosmotheor. L. I. p. 5. Alii autem magis serio



rem proponentes, multa de Planeticolis in scriptis suis passim nobis reliquerunt: u. c. Tycho de Brahe, Otton. Guericcius, P. Gassendus, Ant. Reita, Dn. Gualcz, Maestlinus, Franc. Goodwinus, H. Newtonus, Th. Burnettus, Whistonus, Petr. Baelius aliique plurimi Astronomi celebriores. Inter recentissimos qui Planeticolas defendunt, eminent insignis quidam Mathematicus, qui in Element. suis Astronom. §. 456. seqq. imprimis Selenitas propugnare uariis adductis ibi rationibus alloborauit, et in suo Lexico Mathematico eos qui ipsi assentire nolunt, inter simplices ac superstitiosos refert homines. Qui argumentum hoc ex instituto pertractarunt legi prae aliis merentur. Christianus Hugenius, qui in Cosmotheo. s. de terris coelestibus earumque ornatu coniecturis de planeticularum natura atque statu instar omnium tam prolixè fabulatur, ut nemo supra. Huic addatur 2. Ioh. Wilkias Copernicus defensus Anglice primum editus, post Gallice translatus et nunc etiam Germanico idiomate donatus a Ioh. Gabr. Doppelmayero, Lips. An. 1713. ubi de Lunae incolis imprimis multum quoque disseritur. Nec praetereundus est 3. Andreas Ehrenberg, qui sub nomine Anagrammatico Harenei Geierbrand in Schediasm. cui titulus: Maestas Macrocosmi siue Systema mundi mundorum, magno conatu pluralitatem mundorum adstruere tentat. Idem fecit quoque 4. Dn. Prof. Bornmannus, qui Dissertationem satis ipsam de Pluralitate mundorum edidit Thorunii An. 1715. Tot itaque tantisque Viris eruditis contradicturi, temeritatis quidem notam uix effugiemus apud eos imprimis, qui a placitis Doctorum summorum discedere religioni sibi ducunt. Verum enim uero, cum multitudo errantium errori non patrocinetur, nec ea, quae antiquitatem sapit, quaeque a plurimis philosophis recepta est, opinio, prius sit assumenda, quam diligenter fuerit examinata; in praesentiarum peruulgatam illam de Incolis Planetarum, sententiam examinandam refutan-



futandamque nobis sumimus. Verfabimur autem in hoc argumento satis arduo ita, ut omne opus, ea tamen quae mos est, breuitate, obfoluamus duabus dissertationibus, quarum haec prior sistit argumenta aduersariorum praecipua, annexa eorundem, quantum quidem per ingenii imbecillitatem fieri potest, discussione. In posteriore tandem dissertatione contrariam nostram sententiam ualidis adstruemus rationibus. Faxit Deus feliciter!

§. I.

**P**riusquam ad ipsam argumentorum dissentientium tractationem descendamus, generatim annotasse iuuat, quod omnes atque singulae, quas pro defendendis Planeticis proferunt, rationes, nihil nisi possibilitatem rei probent. Quem uero Logicorum fugit, argumenta a possibilitate sumpta, non procedere? Si enim a possibili argumentari esset licitum, facile quoque probare possemus existentiam illorum hominum uel rectius monstrorum, quorum Plinius mentionem facit: *Dari*, inquit, *homines in tellure nostra manu grados, cyrocephalos et acephalos, astomos et brachisomnos, quorum illos odore uiuere, hos calamis auenae potum trahere dicit.* Hist. Nat. L. VI. c. 30. *Dari*, quibus nuda aliquando corpora praegrandes ipsorum aures integunt. L. IV. c. 13. *Dari*, qui carent naso, *dari* monoculos, *arimaspos* et quibus oculi pectori affixi traduntur. L. V. c. 8. Horum uero ut et innumerarum adhuc aliarum non existentium rerum, possibilitatem, uti nemo facile negabit, ita quoque fabulas has Plinii, omnem fidem ueritatemque excedentes, quilibet per experientiam meliora edoctus, merito ridet. Deum certe per omnipotentiam suam absolutam, haec et infinita alia miranda opera, ut et plures mundos procreare potuisse, nullum prorsus est dubium; Ipsum uero uoluisse hoc efficere, merito negamus. Non enim est uidendum, quid Deus potuerit, sed quid uoluerit. Principium actionum Diuinarum, ut uulgo dicitur, imperans, non est potentia sed uoluntas.

§. II.



§. II. Praemonemus porro, quod Planeticularum defensores, more seductorum omnium, errorem suum aliis sub specie quadam pietatis propinare soleant, dum uariis uerborum phaleris exclamant, facere sententiam suam ad augendam amplificandamque Dei gloriam. Verum si ita liceret colligere: Quicquid facit ad augendam Dei gloriam id etiam existit, posset aliquis subsumere: Atqui arbores Gemmiferae, aurei immo adamantini montes etc. faciunt ad Dei gloriam amplificandam, et hinc concludere: Ergo existunt. Deprehendimus sane uel in tellure nostra tot gloriae Diuinae documenta, quae nemo mortalium capere aut enumerare potest. Videmus in Coelo quoque innumera Diuinae Maiestatis indicia, ut satis ea admirari nemo queat. Quare ergo praeter necessitatem plura adhuc gloriam ac Maiestatem Summi Conditoris demonstrantia opera, fingere audent aduersarii? Si Deus plures mundos ideo creare uoluisset, ut maior esset numerus creaturarum qui eius gloriam agnoscerent celebrarentque, in prima iam creatione et plures statim homines et multo ampliorem quoque terram nostram formare potuisset. Ex eo autem, quod duos tantum homines initio produxit, apparet, Deum non respicere, quam multi, sed quam bene ipsum colant. Si uero hanc ob causam Deus plures condidisset mundos, ut sapientiae potentiae ac bonitatis eius magnitudinem agnosceremus, uel eo nomine hoc nobis manifestandum erat. Moses autem atque reliqui Scriptores Sacri, quibus omnibus Dei gloria amplificanda primarius fuit scopus, hoc gloriae Diuinae testimonium grauissimum prorsus silentio praeterierunt, cum tamen multa alia non tam magni momenti nobis reuelauerint. Et in Sacro Codice pro extollenda Dei gloria saepius enumerantur opera Diuina, nulli tamen plurium mundorum nequidem uerbo fit mentio. Quod itaque ex sententia dissentientium nullo modo Dei gloria amplificetur, quilibet facile uidet; per ipsam uero de



de planetarum incolis opinionem Dei gloriam non una ratione profanari ex infra dicendis patebit.

§. III. Sed nunc ad ipsa aduersariorum argumenta propius nos accingamus, quorum quidem tantus est numerus, ut eorum saltem aliqua, eaque generaliora hic sub examen reuocare nobis liceat. Primum ducitur a **Similitudine**, quam inter terrae et aquae nostrae globum ac reliquos planetas sibi imaginantur. Fundamentum huius rei est System. ut uocant, mundi, a Copernico cognominatum, iuxta quod tellus nostra planeta esse docetur, reliquis planetis prorsus similis, unde sic concludunt: Cum in omnibus fere telluri cum planetis intercedat similitudo, non minor quoque horum dignitas et pulchritudo erit, nihiloque minus ornati cultique esse possunt, quam quidem tellus nostra. Prolixè hactenus inter Mathematicos fuit disquisitum, quinam ordo planetarum et quodnam Systema mundi sit constituendum. Si autoritate esset pugnandum, praeualeret omnino Systema Copernicanum reliquis omnibus, quippe cui hodie tantum non omnes praestantissimi subscribunt Mathematici. Subscriberemus et nos, si modo non obstarent multa Diuiniore doctrinae oracula, quae potius pro eo pugnant ordine, quem Celeberrimus Tycho de Brahe defendit, quod scilicet tellus nostra stet in medio Vniuersi immobilis, Sol uero cum caeteris planetis et stellis omnibus circa tellurem uoluatur.

§. IV. Copernicanis quidem omnibus solenne est, ut more illorum, qui pro concilianda cum erroribus suis, Script. S. eam instar nasi cerei detorquent atque flectunt, etiam Script. S. loca, quae ipsis contradicunt, uariis detorsionibus ad suam, quam defendunt, hypothefin, applicent. Ea enim proh dolor! est praesentis seculi infelicitas, ut plurimi, qui etiam uideri uolunt Sapientiores, *Scripturam rationi esse accommodandam*, sentiant, quod pestilentissimum fuit dogma Maimonidis, referente Spinoza Tract. Theol.

B

Pol.



Pol. c. VII. p. 99. coll. c. XV. p. 167. Scilicet, dum multi falsissime sibi persuadent, unum quemque ferme Script. S. locum varios immo interdum contrarios admittere sensus, hinc nihil admittunt, quod cum ratione non conueniat aut ei repugnet. Excellit in hoc genere Io. Iac. Zimmermanus, qui ex instituto clarissima Script. S. dicta sententiae Copernicanae manifeste contraria, satis temere atque interdum peruersissime cum hypothesi Copernicanorum conciliare tentat in peculiari Schediasmate, quod inscripsit: Scriptura S. Copernizans seu potius Astronomia Copernico-Scripturaria bipartita. Alii qui intelligunt, Script. S. nullo modo cum hypothesi Copernicana conciliari posse, eo audaciae uel potius impietatis progrediuntur, ut statuant, Script. S. in rebus naturalibus et quae ad salutarem cognitionem non pertinent, loqui interdum ad erroneam opinionem uulgi uel certe minus *angustioris*. Hi autem manifesti sacrarum literarum hostes, solide iam dudum a Theologis fuerunt refutati. Alii, qui S. Codici in rebus quoque philosophicis Veritatem uindicare uelle uidentur, dicunt, quod rem praesentem quidem attinet, Script. S. loqui secundum apparentias, prouti nimirum obiecta a sensibus rite constitutis secundum datas ipsis a supremo Opifice uires, percipiuntur, et sic profiteri eam Veritatem opticam. Ast uero, et illi re ipsa scripturam diuinitus inspiratam falsitatis errorumque arguunt. Qui enim rem, non ut reuera est, sed uti apparet, describit, is Veritatem nondum assecutus est. Alii denique urgent Script. S. quando de Solis et stellarum ortu atque occasu loquitur, manifestos immiscere tropos, qui, ut a litera recedamus, omnino iubeant. Sed his opponimus p. quod tamen in ipsis tropis lateat Veritas. Sic quando e. c. Pl. XIX. 6. Cursus Solis comparatur cum egressu Sponsi e cubiculo et cum cursu Herois cuiusdam, tantum abest, ut hi tropi a litera recedere nos cogant, ut potius uel literaliter accepti motum Solis reuolutionis manifeste



nifeste indicent, dum neque sponfus exiens cubiculo, nec heros in cursu suo unquam motu gyrationis a loco dimouerentur; p. quod alia quoque dentur loca clariora, in quibus nullus occurrit tropus, sed plano atque perspicuo sensu asseritur Solis stellarumque motus et terrae quies. u. g. Pf. LXXIV. 16. Ier. XXXI. 35. Eccles. I. 5. Pf. CIV. 5. CII. 26.

§. V. Nec approbare possumus regulas, quas tradit Hermeneuticas, pro conciliandis Script. S. dictis cum hypothese Copernicana, insignis quidam aetatis nostrae Mathematicus in Element. Astron. §. 577. Supponit enim Vir Celeberrimus 1. Verbis Scripturae S. singulis suas respondere notiones, et eum tenere sensum eorumdem, cui notiones istae inter legendum occurrunt. 2. Verba Script. S. cum attentione lecta notiones modo dictas in animo a praecudiciis libero excitare ualere. Hinc 3. colligit: necesse esse, ut aut Deus ipse exhibuerit uocum in Script. S. occurrentium definitiones, aut, si notiones iam supponit, ut nobis uia ordinaria ad eas peruenire datum sit. Vnde tandem 4. concludit, non alias cum Verbis Script. S. combinandas esse notiones, quam quae ad res praesentes attendentibus occurrunt. Ex falsis his suppositis ac regulis, omnino falsa quoque fluit interpretatio. Sic enim pergit Cl. Dn. Prof. Script. S. per ortum solis intelligit apparentiam antea latentis in Horizonte, per occasum uero Solis occultationem modo conspicui in Horizonte. Liceat itaque pace Cl. Dn. Prof. pauca quaedam adnotare, et quidem 1. quod in uero Script. S. sensu eruendo neutiquam respiciendum sit ad eas notiones uocum, quae simpliciter unicuique inter legendum occurrunt, sed quae NB adhibitis omnibus iisque genuinis mediis Hermeneuticis, occurrunt. 2. Verba quidem excitant in animo legentis notiones: Verum ad diiudicandum utrum notiones illae uerae sint, nec ne, non sufficit intellectus a praecudiciis liberatus, sed requiritur etiam uoluntas a prauis affectibus immunis, quae Philautiam, arrogantiam ac pertinaciam omnem fugit, timorem autem Dei, reuerentiam ac amorem erga Verbum Dei



et ueram pietatem deuotionemque sectatur. 3. Verum quidem est, quod nobis uia ordinaria ad uocum notiones ueras peruenire datum sit, sed haec uia ordinaria non consistit in eo, ut Verbis Script. S. affingamus sensum qui cui-libet lectori, etiam ad res praesentes attendenti, occurrit, sic enim caderet omnis Script. S. certitudo; sed haec est uia ordinaria, ut intentionem ac scopum scribentis inuestigemus, circumstantias ac *συναφαι* textus consideremus, atque sic assistente Spiritu Veritatis, precibus indefessis ideo implorato, eum eruamus sensum, qui analogiae totius Scripturae S. et fidei conueniens est. Hoc si fiat, facile uidebit quisquam, Script. S. nulla prorsus ratione cum hypothesi Copernicana conciliari posse.

§. VI. Nec desunt quoque argumenta ex ipsa ratione petita, quae Solis stellarumque motum et terrae quietem satis clare adstruunt. Praeterea enim, quod Demonstrationes Copernicanorum multis modis infirmari possunt, ipsi naturae uidetur multo probabilius, Deum sapientissimum, terram elementum infimum tanquam corpus ad motum admodum ineptum pro domicilio Creaturarum opera Diuina contemplantium, locasse in medio et centro uniuersi immobilem, quam quod eam circa Solem corpus motui aptissimum gyrari atque circumuolui uoluerit. Ex multis aliis, quae hypothesin Copernicanam ualde suspectam dubiamque reddunt, rationibus, unicam hic proferre lubet, uerbis quidem Angli cuiusdam Anonymi, qui in *Traité de l'Incertitude des sciences*, Traduit de l'Anglois. Cap. VIII. p. 118. haec habet: *Il ya dans cette hypothese une difficulté, dont les Sectateurs de Copernic ne se tirent pas aisement, et qui embarassera l'esprit de tous ceux qui l'examineront bien: c'est que la terre ne soit qu'un point à l'égard de l'univers. Quoi qu'il soit difficile d'accorder cette proposition, il pourroit y auoir tel système où l'on en conuiendroit. Mais de supposer que la terre, et encore le grand cercle qu'elle décrit autour du Soleil en une année*



*ne soient qu'un point; supposition sans laquelle le système de Copernic tombe: c'est une chose si absurde dans l'Astronomie, que plus on y pense, moins on s'y rend.*

§. VII. Hoc equidem inficias ire non possumus. Systema Copernican: sua et facilitate et simplicitate in demonstrandis phaenomenis Astronomicis omnino sese commendare. Hinc etiam non repugnamus, si quis hypothetice libertate Astronomica usus, terram concipiat moueri, sydera uero quiescere supponat, ut eo facilius phaenomena demonstrare possit. Sic enim multa in Astronomicis concipimus ac fingimus, quae reuera non sunt. Si quis uero thetice realiter ac phylice terram moueri, Solem cum stellis omnibus quiescere dicat, nullo modo id largiri possumus. Nam praeter hoc, quod eadem ferme facilitate secundum Systema Tychoicum, omnia quoque phaenomena demonstrari ac concipi possint, licet non semper in plano aequae facile depingi queant, neutiquam etiam Script. S. contradicere aulim, quippe qui firmiter credo, uel unicum sacrarum literarum testimonium praestare centum Mathematicorum demonstrationibus.

§. VIII. Cum itaque hypothesis Copernici non uno nomine reiicienda ueniat, sua sponte quoque cadit argumentum quod a Similitudine planetarum cum tellure sumunt aduersarii, id quod clarius adhuc patebit infra, quando de natura planetarum paulo fusius in Dissert. post. differendi erit locus, ubi ostendemus, materiam planetarum esse diuersissimam a materia telluris, et ad alendum animantia plane ineptam. Hoc equidem fatemur, tellurem inter et planetas esse aliquam similitudinem, non autem intelligimus similitudinem identitatis sed tantum analogicam. Ob hanc analogiam uero planetis similia, quae orbis noster teraqueus alit, animantia, adsignare, prorsus est absolum.

§. IX. Non grauioris quoque ponderis est alterum quod urgent argumentum aduersarii, a Magnitudine coelestium



lestium globorum petitem. Non enim possunt sibi persuadere corpora coelestia immensae magnitudinis plane esse uacua cum globus noster terraqueus, quem respectu illorum tanquam punctum considerandum dicunt, tam mirifice ornatus sit ac animantibus repletus. Hoc argumentum prae aliis quoque proposuit Theologus quidam aetatis nostrae, Celeberrimus, in Thesis suis de Atheismo et Superstitione Cap. V. p. 382. Ita enim ibi sonant eius Verba: *Non equidem Astronomorum, de planetarum incolis ita loquentium ac si ipsimet ibi adfuissent, coniecturis, multum tribuo, id tamen sine omni temeritate dici posse, existimo, cum tanta rerum creatarum in nostra tellure sit Varietas, uix credibile esse tam ingentia corpora plane uacua esse, immo admodum Verosimile, non minorem rerum summam Numinis et potentiam et sapientiam demonstrantium, in illis uarietatem deprehendi, quam in nostra tellure.*

§. X. Quod magnitudinem stellarum attinet, existimamus nihil certi de ea constare nec unquam constare posse, quia media, quibus in dimetiendis distantis ac magnitudinibus stellarum utuntur Mathematici, in theoria quidem rite se habent, in praxi uero propter uaria impedimenta insigniter fallunt. Quorum praecipua sunt 1. diuersa oculorum acies ac magnitudo, unde fit, ut unius eiusdemque obiecti uisibilis distantia magnitudoque diuersis obseruatoribus diuersa quoque appareat. 2. Instrumentorum opticorum illegitima praeparatio ac imperfectio obiecta uisionis ualde etiam mutat atque uariat. Et quod praecipue notandum, 3. Ipsum medium, per quod fit uisio, aer scilicet atmosphaericus in causa est, cur grauissimos Astronomi committant errores. Hoc ultimum ingeniose non minus quam solide demonstrauit Magnus Theologus, stella in Coelo Ecclesiastico primae magnitudinis, Dn. D. Val. Ernest. Löscherus in Scholio Cosmotheor. S. de nimia, quae uulgo stellis tribuitur, distantia ac magnitudine. Ostendit



dit nimirum Vir Magnif. ex Optica doctrina solidissimis rationibus insignem Astronomorum circa distantias stellarum errorem. Demonstrat u. c. Solem octies terra maiorem esse, quem quadringentis maiorem plerique hodie faciunt, nec longius 29. diametris globi terraquei a nobis abesse, quod prolixius deductum uide, si uoles, ap. Magnif. Aut. *In Vrschuldigen Nachrichten An. 1711. p. 444. seqq.* Tantum uero abest, ut sententiam hanc rationi pariter ac reuocanti magis consentaneam, amplectatur Secta Copernicana, ut potius quotidie uastissimam stellarum molem adaugere studeant, quo uberius nanciscantur spatium nouos fingendi mundos. Dum enim semel ipsis placuit opinionem illam Veterum de multis mundis, reuocare atque stabilire, aliter non potest fieri quin uarias quoque huic instituto inferuientes, excogitent hypotheses. Hinc u. c. reuocato Pythagoraeorum terrae motu circa Solem, inter Saturnum et stellas fixas immensum sibi concipiunt spatium, dum ipsis stellae fixae semper sub eadem magnitudine apparent, siue in superiore siue inferiore circuli sui parte constituta sit tellus.

§. XI. Equidem quod fixas attinet, earum distantia a nobis immensa magnitudoque uastissima, apud omnes in confesso est. Nihil autem certi hac in re statui posse, uel ex eo liquet, quod demonstrationes Mathematicorum tam ualde inter se differant, ut omnem ferme amittant fidem. Tycho de Brahe stellas fixas 14000. Ricciolus 100000. Ant. Maria Rheit. 20000000. et Kepplerus 60000000. Semidiam. terrae a nobis distare iudicant. confer. Ricciol. *Almag. nou. L. VI. C. VII. p. 419.* Hugenius Solem a terra tam immenso spatio abesse arbitratur, ut globus e tormento emissus fere annos 25. esset infumtus, antequam iter hoc peragat. Et fixarum a Sole distantiam tantam esse statuit, ut idem globus tormenti eadem celeritate permotus pene septingenta annorum millia requireret, priusquam ad proximas



ximas stellarum inerrantium perueniat. Cosmotheor. L. II. p. 124. et 137. Cum ergo in distantis stellarum determinandis tam insigniter discrepent autores, in uera earundem magnitudine definienda mirifice quoque illos dissentire, necesse est. In tanta autem incertitudine, uerbis illis, quibus olim Deus ex Abrahamo quaerebat: Potesne stellas numerare? nos merito alloquimur Mathematicum: Potesne distantias ac magnitudines stellarum mensurare?

§. XII. Quanquam autem de uera coelestium globorum magnitudine nihil certi constat, hoc tamen absque omni dubio concedimus, illorum plurimos magnitudine omnino multum superare molem globi nostri terraquei. Fixarum enim distantias ac magnitudines immensas ex eo praecipue cognoscimus, quod telescopiis uel optimis ne tantillum quidem ob altitudinem nimiam, augeantur, sed potius reflecta luce spuria, minore forma nobis appareant. Solem et planetarum quosdam esse corpora non una uice tellure nostra maiora, id calculus parallacticus alique modi distantias stellarum mensurandi, haud obscure innuunt, ipse autem finis productionis horum luminum, docente S. Codice, infallibiliter confirmat. Creauit enim Deus Solem stellasque omnes, ut suo lumine praesint diei atque nocti, ut motu metiantur tempora et ut utroque influant in sublunaria eaque foecundent ac tempestatum uicissitudines efficiant. Ad hosce fines obtinendos stellas omnes a sapientissimo Creatore optime dispositas ordinatasque esse, quis non uidet? Sic u. c. Sol calore suo debebat foecundare omnem terram, hinc eum necessario corpus magnum esse oportebat. Ut autem simul luce sua non tantum aliquos planetas ad seruitium telluris, sed totum etiam terrae hemisphaerium, illuminare posset, omnino alte erat collocandus. Si enim esset corpus minus et telluri propius, hos fines omnes non attingeret.

§. XIII. Cum itaque cuilibet pateat globos Coelestes



stes non solum reuera esse, sed necessario etiam esse debere corpora vastissima tellure nostra multum maiora; facile apparet, quam absone illi mundi fabricatores, a magnitudine stellarum, ad similes, quas globus noster terraqueus, alit, creaturas, argumententur. Produxit enim Deus terram nostram solummodo eum in finem, ut sit habitaculum ac mater creaturarum. Ad hunc finem omnia sapientissime subordinata uidemus. Stellarum autem fines prorsus alios Dissert. prolixius demonstrabimus, a Creatore intentos fuisse, ipsa loquitur ratio, confirmat reuelatio. Accedit etiam, quod a magnitudine Corporum ad dignitatem et perfectionem non valeat consequentia. Miramur certe sapientiam potentiamque Creatoris magis in corpusculis uel minimis quam quidem in corporibus magnis. Structura partium in culice maiorem profecto admirationem meretur, quam in elephanto. Hinc admodum eleganter etiam scribit Aut. Tract. de L' Incertit. de sciences loc. cit. *Il y a plus à admirer dans la fabrique du corps humain, que dans le merueilleux corps du soleil. Vne ame raisonnable et non materielle est un ouvrage plus parfait et plus etonnant, que toute la masse de la matiere.* Quanta quaeuo sunt corpora aer atque aether? quae tamen nemo saniorum philosophorum ideo animantiubs repleta esse dicit. Haud equidem nos fugit, dari quoque qui ipsum aerem ac aetherem inhabitari statuunt, quod prae reliquis ex instituto tradere laborat Comte de Gabalis, in Entretien sur les sciences secretes, Coloniae absque anno impressis. Vbi hic Comte non unam tantum eamque aeream facit nationem, sed pro numero quatuor elementorum, quatuor quoque diuersa daemonum genera constituit, unicuique elemento peculiare suos habitatores assignans, eos qui in igne uiuunt Salamandros, qui aerem incolunt Sylphos, qui in aquis uiuunt Nymphas, qui in ipsa terra habitant Gnomos appellans, quorum singulos ex illo solum compositos

C

agnoscit



agnoscit elemento, quod incolunt. Pro demonstrandis hifce figmentis Comte de Gabalis etiam urget, uasta illa atque immensa Elementorum spatia maximam partem uacua et inania, nisi tales in iis incolae deprehendantur, remansura. Verum absurditatem huius opinionis inter alios peculiariibus quibusdam Dissertationibus de Elementicolis, in Academia nostra An. 1704. seq. ostendit B. M. Ioh. Georg. Hocheisen.

§. XIV. Nouum aduersariorum argumentum defumtum est ex eo, quod Deus duplicis generis stellas procreauerit, lucidas nimirum s. Soles et opacas s. planetas. Exinde enim ita colligit: Creatorem, si stellas eum in finem condidisset, ut lumen praebeant terricolis, debuissent tantum Soles, quippe ad hunc finem obtinendum multo aptiores, producere. Cum uero unicuique Soli adiunxerit planetas, lumen suum ipsi a Sole mutuantes, alium forsan in finem haec corpora opaca a Deo condita esse autumant. Iam autem nullus probabilior, aut diuinæ potentiae, sapientiae et bonitati magis conueniens finis esse ipsis uideretur, quam quod Deus Opt. Max. eos incolis Maiestatem suam celebrantibus, impleuerit. Addunt coniugium quod inter stellas esse sibi imaginantur, quando nim. Soles habent pro masculis calore suo planetas tanquam foeminas foccundantibus et impregnantibus, ut inde tam uaria animantium genera gignerent planetae, de quo conf. Andr. Ehrenb. Maieft. Macrocosmi p. m. 14. et Zimmerm. Script. S. Coperniz. P. I. C. II. p. m. 27.

§. XV. De stellarum fixarum natura admodum diuersae sunt philosophorum opiniones, quas quoad ueteres imprimis ex parte recensitas uid. ap. Plutarch. de Placit. Philos. C. II. et XIII. Inter recentiores fixas quoque corpora opaca esse et a Sole illuminari contendit Ozanam in Cours Mathematiq. Part. I. C. II. et Honoratus Fabri in Phys. Tract. VIII. L. II. prop. 3. statuit *stellas fixas non esse corpora lucida sed illuminata,*



*illuminata, easque adamantinae naturae esse*, multos habentes angulos et ob perpetuam circa axin suam gyrationem scintillare. Verum stellas fixas iuxta omnium Astronomorum hodiernorum sententiam, habere proprium lumen et esse corpora composita ex luce in unum quasi oceanum collecta, illud demonstramus: 1. ex earum scintillatione. In opticis enim docemur, quod omne lumen forte e longinquo visum scintillare uideatur, quemadmodum ipse Sol semper, et non solum ut uulgus putat, die paschatos, motitatur ac scintillat 2. ex earundem stellarum fulgore nitidissimo, multo nitidiore, quam splendor planetarum 3. nonnulli addunt similitudinem radiorum in stellis fixis cum radiis solaribus, eorundemque discrepantiam a radiis planetarum.

§. XVI. Quamuis autem hinc fixas propter analogiam materiae haud inepte dicamus Soles, neququam tamen inde licet illis quoque planetas adiungere, et tot constituere Systemata mundana, quot dantur stellae fixae. Haec enim consecutio purum putum est figmentum, nullo fundamento nullisque obseruationibus innixum, sed tantum in cerebro quorundam otiosorum uel certe nimis curiosorum hominum enatum. Ita nempe fert genius seculi nostri ut noua semper appetat eaque inuenire gestiat. Quamdiu itaque dissentientes sufficienter non probarunt dari circa fixas quoque planetas, tamdiu etiam, ut de eorum fine atque usu sint solliciti, opus non est.

§. XVII. Quod uero attinet planetas illos, quos circa Solem nostrum uolui uidemus, hos etiam primario eum in finem a Deo conditos fuisse arbitramur, ut nocti praesint lumine. Ad unum enim eundemque effectum producendum plures etiam natura sua diuersae causae, diuerso licet modo, concurrere possunt. Inepte itaque philosophantur illi, qui a duplici stellarum genere ad duplicem quoque earundem finem colligunt. Quando autem hic cum Alfonso Castiliensi, Creatori sapientissimo quasi a consiliis esse uolunt,



uolunt, quaerentes: Quare Deus non loco planetarum etiam Soles formasset, quippe quibus scopum suum, illuminationem scilicet telluris eo melius assequeretur? respondemus: Creatorem Sapientissimum nec uoluisse nec potuisse telluri nostrae plures quam unum adsociare Solem, quia ipsi placuit naturam animantium Vegetabiliumque ita informare, ut caloris atque frigoris, lucis ac umbrae, motus quietisque uicissitudine uitam ducat omne uiuens, ad quam uicissitudinem unicus tantum fons naturalis uitae, Sol nimirum requirebatur. Ne autem pars telluris a Sole auersa imprimis circa polos, a quibus per semestre ferme anni spatium radii solares abeunt, prorsus omni luce careat, hinc Autor naturae prouidus plura eiusmodi produxit corpora opaca quae Solis oppositi radios excipiant, eosque in terram Solis luce destitutam, reflectant, atque sic umbram noctis utilissimam maximeque necessariam, efficiant.

§. XVIII. Caeterum, nec omnem prorsus planetarum in haec sublunaria influxum negare possumus. Lunam prae reliquis motu suo multa in tellure nostra mirabilia relinquere, quem latet? Conseruat enim fluxu ac refluxu maris, aquas a corruptione, et in Vegetabilia terrae omnia, quam efficaciter insuat, id nemini rei domesticae perito, obscurum esse potest. Sic quoque reliqui planetae aliquo modo, licet gradualiter diuerso, nobisque insensibili, in haec inferiora influere possunt. Cauendum autem probe est, ne hunc influxum nimis late extendamus. Ille enim influxus planetarum ut et stellarum omnium admittendus non est, qui nullum habet fundamentum neque in lumine et radiis, neque in motu quem excitant neque in uicissitudine caloris quam efficiunt in rebus sublunaribus. Admittimus itaque aliquem influxum physicum in iis rebus quae dependent a tribus modo commemoratis causis uel una atque altera ex his. Concedimus quoque aliquem influxum moralem, indirectum tamen et non modo Astrologico distinctum  
in



in maleficum beneficum et indifferentem, item in domos, detrimenta exaltationes casus et thronos seu gaudia et quae sunt reliquae eiusdem generis nugae.

§. XIX. Quando porro aduersarii obiiciunt: Cui bono Deus tam multas stellas, nocturno tantum tempore conspicuas, creauerit, cum uel centesima stellarum, quas uideamus, pars nobis tantam lucem praebere potuisset, quantum iam ob omnibus simul accipimus, respondemus: Sufficere nos generalem syderum finem scire, quod sc. sint lumina, quamuis specialiores cuiuslibet stellae utum non perspiciamus. Vtilitatem enim specialem u. c.  $\beta$   $\gamma$   $\delta$   $\epsilon$   $\zeta$  et reliquarum fixarum omnium ipsi aduersarii ostendere non possunt. Interim, si multitudinis stellarum rationem specialem scire auent, dicant nobis, cui bono Deus etiam innumeras insectarum aliarumque creaturarum species creauerit, quibus adeo copiose non utuntur terrae incolae? Immo respondemus ac aquis repleuerit naturae Autor, cum itidem paucioribus contenta esse posset natura?

§. XX. Idem quoque respondemus, quando ulterius excipiunt, quod recentiore aeuo ope telescopiorum multas inueniamus stellas, Veteribus plane incognitas, quae creatoris uoluntati satisfacere non possent si propter solam lucem Terricolis praebendam essent creatae. Addimus uero hic, quod stellas imprimis illas attinet, quae ob nimiam altitudinem uel nudis oculis prorsus non conspiciuntur, uel oculo armato forma perexigua apparent, earum finem atque usum, quantum quidem coniecturis assequi ualemus, forsitan illum esse, ut Coelum Thronum Patris luminum Maiestaticum illustrent atque ornent, quemadmodum reliquae omnibus Terricolis conspicuae non solum huic fini inseruiunt, sed etiam telluri lucem suam simul communicant. Nisi enim praeter fixas, quae nudis oculis uidentur, aliae quodque supra eas extarent stellae tanquam Soles illuminantes



indefinitum Coeli spatium, expansum illud immensum abyssu tenebrarum horribilissimae foret simile, dum oculorum acies longius adhuc inspicere potest Firmamentum, quam quousque stella remotissima extremaque nobis uisa, radiis suis illuminando pertingere ualet. *Beneficium enim hoc ingens naturae opifex mortalibus, in umbra noctis degentibus et praecleara opera Sapientissimi Creatoris admirantibus, concessit, quo mirabilia Coeli, quae extra uorticem Solaris globi clucent, scrutari permitteretur u. Eimmartus Ichnograph. nou. contemplat. de Sole.*

§. XXI. Quod reliquum est, illi, quibus incredibile uidetur, Deum tot et tanta corpora ob exiguum illud lumen quod ad nos transmittunt, creasse, perpendant quae-fo, quod, cum pictores alique artifices multa ornamenta tantum causa pingant faciantque, quidni et summus Artifex multas stellas ornamenta tantum contemplationis delectationis admirationisque gratia Coelo affigere potuisset? Voluit enim Deus, ut homines stellarum exercitus inspicientes immensam eius Maiestatem glorificent. Facco, quod praeter allegatos iamiam usus sc. illuminandi calefaciendi, tempestatum uicissitudines tam necessarias efficiendi, temporum rationes accuratius ordinandi, insignem quoque utilitatem habeant stellae omnes in chronologiae ac historiae defectibus emendandis in longitudine locorum determinanda, in itineribus in terra marique faciendis aliisque multis. Nec dubium est, quin usus adhuc longe nobiliores praestantioresque habeant sydera etiam in terra nostra, qui nobis noti non sunt. Quibus denique non probabile uidetur, Deum tot et tanta corpora in folius tantum hominis utilitatem, ita ut nullum alium praeter hunc finem intenderit, produxisse, illi considerent, quod etiam in terra nostra cuius domini et habitatores sumus, multa inueniantur, quorum natura conditio atque usus nos latet. Quot enim res in ipsis terrae uisceribus  
hae-



haerent, quot animantium genera in profundo mari reperiuntur, paucissimis uix inspecta, quae omnia, licet exiguus immo ferme nullus illorum usus esse uideatur, in solam tamen hominum utilitatem, quippe in cuius gratiam omnia facta sunt, etiam primario condita esse, quis negauerit? Scimus namque Deum et naturam nihil frustra facere, neque ullam rem tam abiectam esse, quae non ad certum finem atque usum, ut non omnibus semper statim cognitum, a prouida natura directa sit. Tandem quoque eis, quibus indigni uidentur terricolae, in quorum gratiam Deus tot uastissima lumina produxerit, perpendendum damus, quod propter hominem, uti in hac terra omnia, ita etiam in Coelo tot millionum millia angelorum creauerit, quorum certe unus praestat stellis omnibus. Et quod maiorem adhuc dignitatem generis humani indicare potest, ipse Dei filius in redemptionem nobis datus, omnes aduersariorum argutationes uno ictu destruit.

§. XXII. Nihil tandem frequentius est aduersariis, quam ut ad ueritates quasdam nouaque inuenta recurrant, quae a Veteribus tanquam sententiae falsissimae prorsus reiectae, hodie uero ab omnibus admittuntur. Vnde spem sperant, fore ut sententia de planeticolis, nondum omnibus probata, a multis quoque tanquam absurdissima contenta, aliquando etiam pro uera assumatur. Exemplum nobis sistunt Antipodum, de quibus cum nemo aetate nostra dubitet, Veteribus tamen opinionem hanc adeo exosam fuisse, obiciunt, ut uerbis grauissimis in illorum defensores inuehi non erubuerint. Lactantium prae aliis in scenam ducunt, quo neminem uehementius se illis opposuisse, perhibent, qui Antipodes statuerunt. Verum enim uero, hic nihil prorsus praesidii inueniunt aduersarii. Obseruandum enim est, Lactantium aliosque cum eo sui temporis Doctores duplici ex ratione disputasse contra Antipodes, Geographica nimirum et Theologica.



logica. Priorem quod attinet Geographicam refutandi methodum, neminem mirari debet Lactantium aliosque pro ea temporum conditione, ubi terrae rotunditatem legesque grauitatis nondum satis perspectas habebant, ex hypothesi tunc communi, de terrae forma plana, miras quoque nexisse consequentias, cum audirent, antipodes in Nadir nostro constitutos pedes suos pedibus nostris obuertentes, dari. Deinde uero Theologice etiam hanc de antipodibus controuersiam considerauit Lactantius. Et quoniam ex sententia tunc temporis communi, de forma terrae plana, prorsus aliud, ab Adamo non descendens genus hominum antipodes esse, sibi persuadebat non poterat non haereseos insimulare eos, qui hoc sensu antipodes asseriebant. Hinc etiam posterioribus temporibus tam acerbos haec hypothesis excitauit motus, ut Virgilius Salisburg. Episcop. a Bonifacio Episc. Mogunt. circa A. C. 745. haereseos ideo damnatus fuerit. De quo conf. Martin. Vellerus Rerum Boicar. Lib. V. Quando itaque Lactantius in sensu Geographico, tanquam philosophus non satis bene instructus, minus sobrie de antipodibus philosophatus est, excusamus eum, quia sic errare humanum est. Laudamus uero eundem, quod in sensu Theologico, autoritate S. Codicis, qui non nisi unicum agnoscit genus humanum, antipodum propugnatores oppugnauit.

§. XXIII. Coronidis loco duo, quod iure quidem primum fieri debebat, praeiudicia adhuc remouemus. Quorum alterum est, quod aduersarii, dum facile intelligunt, incolas in planetis locum habere non posse, qui per omnia similes terricolis, fingant non tantum homines in illis reperiri, corporibus a nostris prorsus diuersissimis, uestitos, sed animantia quoque plantas et reliqua omnia longe nobilioris atque corporum planetariorum naturae accommodatae conditionis ibi existere. Ast uero nihil  
hoc



hoc ad facilitandam eorum sententiam conferre, arbitramur. Finge enim in planetis animas rationales, quaecumque uelis corpus inhabitantes, erunt tamen creaturae, quae bonitatem sapientiam potentiamque Dei Creatoris amplificare possunt h. e. animalia ratione praedita s. homines, qui nonnisi qualitibus siue sint perfectiores siue imperfectiores, a nobis differunt. Iam uero nullos planetis homines adscribi posse, Dissertatione nostra posteriore demonstrabimus. Conf. interim Wokenii Meditationes priuat. Theolog. Philolog. Philos. Criticae, Medit. XI. p. 68. Fingere autem in planetis domicilium creaturarum non rationalium, itidem absolum est: Cui enim bono Creator sapientissimus, qui non agit, nisi propter certum finem, eas produxisset, cum neque Deum glorificare neque hominum usui inferuire possint. Nec tandem spirituum in planetis sedem quaerere debemus. Sunt enim spiritus aut boni aut mali: Malos spiritus carceribus detineri infernalibus, bonos autem uersari in domo beatorum, apodictice testantur S. literae. Nihil ergo remanet, quod assignare posses planetis, nisi forsitan uelis cum *Astolpo* illo iter facere in Lunam ibique spectare: *Einm thal, worinne alles dasienige, was auf der Erden uerlobren worden, es sey auch gewesen, was es wolle, wieder anzutreffen war, nehmlich die Kronen, Reichthümer, guter Nabme, eine unendliche Menge Hoffnungen, die Zeit, welche man auf das Spiel uerwendet, die Almosen, so man nach seinem Tode thun läffet, die Verse, welche man den Fürsten überreichet, und die Säufizer der Verlobten; eine ungläubliche Menge in der Welt uerlobren Verstandes, wouon uiel Flaschen uoll angefüllet im Monden stehen, und über einer iedweden ist der Nab-*

D

me



me dessen, der ihn verlohren, geschrieben. Im gegenheil aber ist nichts von Thorheit alda zu finden: denn alles, was davon jemahls auf Erden gewesen ist, hat sich daselbst gar wohl erhalten. Haec et alia eiusmodi lege, si placet, in Dialogo Fontenellii: non mebr als einer Welt p. m. 63. seqq.

§. XXIV. Alterum dissentientium praecidicium in eo consistit, ut dicant, in rebus mere philosophicis, ad Scripturae S. auctoritatem, nequaquam cofugiendum esse, cum ea non sit principium doctrinae naturalis sed Diuinioris. Verum his oppositum, Scripturam S. esse principium eminens et directiuum, secundum quod tanquam regulam ac normam infallibilem, quilibet homo Christianus omnia mentis suae cogitata iuxta et actiones, quam diligentissime examinare debet. Et cum nihil plane statuentum, nihilque credendum sit, quod Verbo Dei ulla ratione contrarium, nemo nobis uertet uitio, quod in hac etiam controuersia philosophica ubique ferme ad hoc Coeleste prouocemus testimonium. Firmiter namque persuasi sumus, nihil magis philosophum decere Christianum, quam ut utroque semper oculo ad hunc simul Veritatis fontem respiciat. Fatemur equidem, notitiam rerum naturalium omnibus numeris absolutam, ex Scriptura S. hauriri non posse, quippe quae omnino in alium prorsus finem a Spiritu S. inspirata est. Maneat philosophiae principium Ratio, modo Veritati Theologicae non struat insidias. Interim tamen dissiteri etiam non possumus, illum grauiter peccare, qui in rebus quoque philosophicis, rationi suae corruptae nimiam tribuens fidem, Reuelationem Diuinam prorsus negligit.

Ita



Ita enim fit, ut ratio sibi relicta in grauissimos saepe ruat errores, Scripturae S. pariter ac ipsi etiam naturae saniori penitus contrarios, id quod exemplo suo luculenter docent planeticularum defensores. Quando denique excipiunt, Scripturam S. quaestionem illam: An dentur planetarum incolae? neque affirmare neque negare, indeque eam non tantum problematicis annumerandam esse censent, sed quoque e Pandectis Sacris, litem hanc ad solum philosophiae forum spectantem, nequiquam componi posse, arbitrantur; respondemus, quod, licet, non *explicite* SS. neget, dari planeticolas, *implicitate* tamen omnino stat a parte negatiua: quandoquidem unum tantum mundum unicumque genus hominum agnoscit. Verbo: sententia contraria omnem analogiam Scripturae S. atque fidei euertit, quod suo loco demonstratum ibimus.

---

CLARISSIMO VIRO AC DOMINO,  
**M. CHRISTIANO HEMPELIO,**  
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO, FAV-  
TORI ATQVE AMICO SVO PERDILECTO

S. P. D.

PRAESES

**C**VM multa indigna sint Christiano Philosopho, tum uel hoc indignissimum est, ad philosophorum inter gentes errores sententias suas conformare, et diuini simul uerbi reuelati auctoritatem uel ignorare, uel negligere atque oppugnare uelle. Vtrumque illi faciunt,



ciunt, qui uel totidem mundos, quot sunt stellae fixae, uel  
tot hominum, tot certe incolarum, diuersissima genera de-  
fendunt, quot sunt stellae errantes, quo demum cunq̄ue  
modo illud fiat. Non enim illud tantummodo est propri-  
um gentilibus, scripturam sacram ignorare, eandemque repu-  
diare, sed et cum Heraclide stellis animum mentemque di-  
uinam, uel certe inhabitatores, attribuere, uel cum Demo-  
crito, Anaximandro, et ceteris, innumerabiles mundos sin-  
gere. Hoc uero minus est tolerabile, Theologum inter Chri-  
stianos idem uelle, idque serio, asserere. Ego, cum haec ita  
sint, non potui, quin tuum, Cl. Magister, institutum maxi-  
mopere comprobarem, quo idem illud copiose non minus,  
quam erudite, dissertationibus integris duabus, demonstra-  
re uoluisti. Gratulor illud tibi, et gaudeo uehementer, te,  
quem per longum tempus, singulari amoris affectu comple-  
xus sum, in quo, propter exquisitam doctrinam, et uir-  
tutem egregiam, speciatimque pietatem et morum suauitatem  
amando certant Patres Academiae nostrae illi omnes, qui te  
recte norunt, te, inquam, unum profusaque idem mecum ex-  
istimare, inque lucem publicam, ad disputandum, producere.  
Faxit Deus immortalis, ut hoc quoque ipsum tibi eueniat fe-  
liciter, augeatque et doctrinae et uirtutis laudem! Ita ue-  
ro eueniet, ut, quemadmodum nunc in te diligendo Prae-  
ceptores, ita deinceps quoque in te promoendo certent  
Patroni ac Promotores tui, quibus te non minus quam ipsi  
Deo, quam maxime commendo. Vale

VVitemberg. V. Idus Iun.

A. R. G. MDCCXVII.



W 78


ULB Halle  
001 507 192 3




TA-506











AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, AC DOMINI  
DN. FRIDERICI AVGVSTI  
ELECTORAT. SAX. HEREDIS  
ET RELIQUA  
DE  
**INCOLIS  
PLANETARVM**

DISSERTATIONEM PRIOREM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI MAGNIFICI, SVMMÆ REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
DN. HENRICI KAUSJNGI  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
MATHEM. SVP. ORD.  
PATRONI PRAECEPTORIS, ATQVE STVDIORVM SVO  
RVN PROMOTORIS AETATEM DEVENERANDI  
AD DIEM XXIX MAI. MDCC XVII  
IN AVDITORIO MAIORE  
PVBLICE VENTILANDAM SISTIT  
AVTOR-RESPONDENS  
M. CHRISTIANVS HEMPEL  
HOENLIBENTHALIA SILESIVS.

VITEMBERGAE LITERIS SAMVELIS CREVSIGII